



PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATI-
CARUM LIB. I.



LIBERALIUM artium commentationem duplicem insti-
tuimus ἀποδεικτικὴν alteram, qua veritas artium utilitasq; de-
monstratur, quomodo grammatica, rhetorica, logica adhuc
expositæ sunt: Arithmetica & geometria mox sequentur, de-
inde reliquæ: ἐλεγκτικὴν alteram, qua cōtrariarum opinionum
vanitas refellitur: quo de genere scholæ sunt grammaticæ,
rhetoricæ, logicæ, physicæ, metaphysicæ, & jam mathematicæ.
Proœmium hoc igitur mathematicæ cohortationis erit in
tribus primis libris mathematicarum scholarum: quale proœmium legum suarum
Plato primis libris quatuor & quinti parte comprehendit, sũasionem legis proœ-
mii nomine significans. Primus igitur mathematicarum scholarum liber explica-
bit historiam præstantium mathematicorum, a quibus artes mathematicæ inven-
tæ atque excultæ sunt: ut planum sit adversus importunos derisores, quantæ digni-
tatis hæ sint disciplinæ. Secundus, mathematicarum utilitates declarabit, ut calumnia-
tores improbi vincantur, qui mathematicas artes palàm audent affirmare sine
fine, sine usu populari esse. Tertius, Ptolemæi regis problema adversus Euclidem
disputabit, de magis perspicua, magisque compendiaria via matheseos instituendæ,
quo facilius ab omnibus perdiscatur & exerceatur. Quamobrem, ô singularis &
eximia mathesis

— *Quæ te tam læta tulerunt*

Secula? qui tantæ talem genuere parentes?

Lubet enim grato jucundoque laudationis & gratulationis argumento, ut Tro-
janus orator ille reginam Carthaginiæ affatus est, sic disciplinam tam nobilis & in-
genuæ eruditionis affari. Aristoteles igitur i. cœli, & i. meteor. artes æternas, ut
mundum, arbitratur, sed earum tanquam stellarum varios ortus & occasus esse, ut
modò excitentur, & floreat, modò jaceant & contemnantur. Hæc magni philo-
sophi magna prorsus sententia est, artes sunt æternarum & immutabilium rerum:
at ipsarum apud homines notitia nequaquam est æterna. Græcia quōdam nulla na-
tio doctior, nulla eruditior fuit: Italia, Gallia, Britannia, Germania nulla indoctior.
At, ut inquit ille,

In Latium spretis academia migrat Athenis.

Commigrationes gentium variæ commemorantur, commigrationes literarum

AA